

MISSAE PRO ALIQUIBUS LOCIS

Feria V

infra Octavam Sacratissimi Cordis Jesu

EUCCHARISTICI CORDIS JESU

** In Missis Votivis extra Tempus Paschale omittuntur Allelúja ad Introitum, Offertorium et Communionem.*

Ant . ad Introitus

Joann. 13, 1

SCIENS Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Allelúja, allelúja. **Ps. 97, 1** Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabilia fecit. V Glória Patri.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, qui divítias amoris tui erga hómines effúdens Eucharístiae Sacraméntum condidísti: da nobis, quaésumus ; ut amantíssimum Cor tuum dilígere, et tanto Sacraménto digne semper uti valeámus: Qui vivis.

Léctio Epístolae beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Ephes. 3, 8-19

FRATRES: Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia haec, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi: et illumináre omnes, quae sit dispensátio sacraménti absconditi a saeculis in Deo, qui ómnia creávit: ut innotéscat principátibus et

potestátibus in caeléstibus per Ecclésiám, multifórmis sapiéntia Dei: secúndum praefiniónem saeculórum, quam fecit in Christo Jesu Dómino nostro, in quo habémus fidúciam, et accéssum in confidéntia per fidem ejus. Propter quod peto ne deficiátis in tribulatióibus meis pro vobis ; quae est glória vestra. Hujus rei grátia flecto génuá mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in caelis et in terra nominátur: ut det vobis secúndum divítias glóriæ suae, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiorem hóminem: Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritate radicáti et fundáti: ut possítis comprehéndere, cum ómnibus sanctis, quae sit latitúdo, et longitúdo, et sublimitas et profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiae caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Graduale Isai.

12,

6

Exsúlta et lauda habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israël. V **Ibid., 4** Notas fácite in pópulis adinventiões ejus.

Allelúja, allelúja. **V Zach. 9, 17**
Quid bonum ejus est, et quid
pulchrum ejus, nisi fruméntum
electórum et vinum gérminans
vírgines ? Allelúja.

*In Missis votivis post
Septuagesimam, omissis
Allelúja et Versu sequenti,
dicitur*

**Tractus Ps. 35,
8-10**

Fílii hóminum in tégmine
alárum tuárum, Dómine,
sperábunt. V Inebriabúntur ab
ubertáte domus tuae: et torrén-
te voluptátis tuae potábis eos. V
Quóniam apud te est fons vitae:
et in lúmíne tuo vidébitur
lumen.

*Tempore autem Paschali
omittitur Graduale, et ejus loco
dicitur:*

Allelúja, allelúja. **V Zach. 9, 17**
Quid bonum ejus est, et quid
pulchrum ejus, nisi fruméntum
electórum et vinum gérminans
vírgines ? Allelúja. **V Ps. 67, 4 et
11** Justi epuléntur, et exsúltent
in conspéctu Dei. Parásti in
dulcédine tua páuperi, Deus.
Allelúja.

**+ Sequéntia sancti Evangé-
lii secúndum Lucam. Luc.
22, 15-20**

IN illo témpore: Dixit Jesus
discípulis suis: Desidério
desiderávi hoc pascha
manducáre vobíscum, ántequam

pátiar. Dico enim vobis, quia ex
hoc non manducábo illud, donec
impleátur in regno Dei. Et
accépto cálice, grátias egit, et
dixit: Accípíte et dividíte inter
vos. Dico enim vobis quod non
bibam de generatióne vitis,
donec regnum Dei véniat. Et
accépto pane, grátias egit, et
fregit, et dedit eis, dicens: Hoc
est corpus meum, quod pro vobis
datur: hoc fácíte in meam
commemoriatiónem. Simíliter et
cálicem, postquam cenávit,
dicens: Hic est calix novum
testaméntum in sánguíne meo,
qui pro vobis fundétur.

Credo.

**Ant. ad Offertorium Ps.
30, 20**

Quam magna multitúdo
dulcédinis tuae, Dómine, quam
abscondísti timéntibus te !
Allelúja.

Secreta

TUÉRE nos, Dómine, tua tibi
holocáusta offeréntes: ad quae ut
fervéntius corda nostra
praeparéntur, flammis adúre
tuae divínae caritátis: Qui vivis.

*Praefatio de Sacratissimo Corde
Jesu.*

**Ant. ad Communionem
Matth. 28, 20**

Ecce ego vobíscum sum ómnibus
diébus usque ad
consummationem saéculi: dicit
Dóminus. Allelúja.

Postcommunio

DIVÍNIS donis Cordis tui satiáti:
quaésumus, Dómine Jesu, ut in
tui semper amóre permanére et
usque in finem créscere
mereámur: Qui vivis.